

velle omnes salvari; licet soleant apud nos esse signa, quod aliquid velimus. Sed plus tenemus ex Scripturis; formalia verba habemus, quibus Deus significat se velle salutem etiam eorum qui pereunt; nec defunt ea respectu Christi Domini. *Exzech. cap. 18. v. 23. Numquid voluntatis mee est mors impij, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a viis suis, & vivat? Et cap. 33. v. 11. Vivo . . . ego dicit Dominus. Nolo mortem impij, sed ut convertatur impius a viis suis & vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis: & quare moriemini Domus Israel? Matr. 23. v. 27. Jerusalem, Jerusalem . . . quare volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat filios suos sub alas, & noluisse? &c. Si ergo in Deo non esset vere voluntas salvandi impios: si in Christo non fuit vere, congregandi filios Jerusalem, falsitas erit in verbis istis: Quod impium est cogitare.*

XXXIX. Tam certum ergo est, Deum velle, voluntate beneplaciti, antecedente & conditionata omnes homines, etiam peccatores sint, salvos fieri, Christum Jesum pro illis omnibus sese in ara crucis obtulisse, quam sit certum, Deum mentiri nequaquam posse: id est certitudine Fidei: Quid quod PP. trecenti & octodecim in Nicæno Concilio, & alii in subsequentibus Conciliis, usque ad Tridentinum inclusive, in sua fidei professione inferuerint hæc gravia ac consolatoria verba: *Credo . . . & in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei Unigenitum . . . Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est: Et resurrexit? Quid quod Ecclesia verba illa posuerit in ore omnium Sacerdotum, dum celebrant? Quid quod injungat Pastoribus per suam Catechismum, (1) ut exponant populis nomen Jesu propriissime convenire Salvatori nostro eam ob causam? Multi quidem, inquit, eo nomine (Jesu) fuerunt in divinis literis: nam idem nomen Josue, Nave filio, qui Moysi successit, & populum a Moysese ex Aegypto liberatum, in terram promissionis, quod illi negatum fuerat, deduxit: eodem etiam nomine, filius Syrach Jerosolymita, qui renovavit sapientiam de corde suo, & Josedech Sacerdotis filius, appellati sunt. Sed quanto verius Salvatorem nostrum hoc nomine appellandum existimabimus? qui non uni alicui populo, sed UNIVERSIS OMNIUM ET ATUM HOMINIBUS, non quidem fame, aut Aegyptiaco, & Babylonico dominatu oppressis, sed in umbra mortis sedentibus, & durissimi peccati, & diaboli vinculis obstrictis, lucem, libertatem, & SALUTEM dedit: qui eis CELESTIS REGNI JUS & HEREDITATEM acquisiverit: qui eos Deo Patri RECONCILLAPERIT? Hæc, inquam, non juberet Romana Ecclesia populis proponi in Symboli explicatione, nisi Jesus noster seipsum pro universis omnium ætatum hominibus, & pro eorum æterna salute in ara crucis obtulisset. Immo, cum juxta S. Thom. 1. p. q. 36. a. 2. ad 2. in quolibet Concilio institutum fuerit symbolum aliquod propter errorem aliquem qui in Concilio damnabatur, sic tamen, ut sequens concilium non faceret aliud symbolum quam primum: sed id quod IMPLICITATE continebatur in primo symbolo per aliqua addita explanaretur: consequens omnino est, hanc, quam defendimus, veritatem, in ipso Apostolorum Symbolo, implicite contineri: fuisseque in Nicæno damnatos, qui contrarium assererant.*

XL. In hac fide potissimum spes christiana fun-

datur. (2) Hinc S. Thoma teste, in ipso fidei symbolo ponitur expectatio ad spem pertinens, cum dicitur: *Et expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi, sive, æternam: Non quod expectatio illa sit actus proprius fidei, sed in quantum actus spei præsupponit fidem: fidem inquit art. 7. c. per quam nobis innoscit, quod ad vitam æternam possumus pervenire, & QUOD AD HOC PARATUM EST NOBIS DIVINUM AUXILIUM.* At quomodo talem spem habere possunt Quænellii affectæ, qui nec sciunt se de numero esse prædeterminatorum, nec credere volunt, Divinum auxilium omnibus paratum esse, quo ad vitam æternam omnes possint pervenire; quin potius credant, Deum nullo modo velle omnes homines solvos fieri? Refugient ne ad bona sua opera; ad renunciationem sui ipsius, ac terrenorum honorum? Sed quis nescit inde nullam certam fiduciam haberi posse? Ante terribilis judicis subtile atque incomprehensibile examen, inquit S. Gregorius, (3) non solum mala que commistimus, sed ipsa etiam, si qua in nobis sunt, bene gesta timeamus: quia sepe in justo iudicio culpa esse deprehenditur, quod virtus ante iudicium putatur.

XLI. Sed, vult Apostolus, ut cum timore & tremore salutem nostram operemur. At, idem etiam Apostolus ita ait: (4) *Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum, & per Dominum nostrum Jesum Christum: per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Non minus cavenda desperatio, quam præsumptio: media via incedendum, spem inter & timorem. Alit timor non ex diffidentia de Dei universalissima misericordia, sed ex nostræ oriatur infirmitatis consideratione. Dubitare namque de Dei bonitate aut misericordia, blasphemæ est: vereri opera sua, etiam bona, modestæ est & humilitatis: in nobis ergo causa est timoris; in Deo causa fiducie nostræ. *In Domino sperans non infirmabor. Ps. 25. v. 1.*

## C A P. V.

De gratia hominis lapsi.

## §. I.

Propositiones Quænellianæ, censura notatæ.

Gratia non est aliud quam voluntas omnipotentis Dei, jubentis & facientis quod jubet. Est xi. Quænellus Marci 2. v. 11.

Dei gratia nihil aliud est, quam ipsius omnipotentis voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis scripturis. Est 19. Quænellus ad Rom. 14. v. 4.

Vera idea gratiæ est, quod Deus vult sibi a nobis obediri, & obediri; imperari, & omnia sunt; loquitur tanquam dominus, & omnia sibi submitta sunt. Est 20. Quænellus Mar. 4. v. 39.

I. Quidam scribens in hæc propositionem penultimam, postquam dixit, quod gratia actualis sit nobis intrinseca, & non Dei voluntas extrinseca; quia nomen gratiæ actualis, seu auxiliaris proprie convenit actibus intellectus & voluntatis, addit: *Nec in Scripturis, Conciliis, & Patribus, aut Traditionibus fit mentio auxilii ullius supernaturalis consistentis in alia forma, aut qualitate mortua, seu non vitali, que disponat & moveat voluntatem ad salutariter operandum: sicque sub prætextu scribendi contra Quænellum, invadit, nihil cum eo commercii habentes, Thomistas.*

(1) Ad 2 Symboli Ath. num. 2. (2) 2. 2, q. 17. art. 6. ad 2. (3) Lib. 3. Moral. c. 5. (4) ad Rom. 5.

milis. Si hujus loci foret hoc vindicare, facile foret ex Scripturis, Conciliis, Patribus ac Traditione, hujusmodi auxilium fluidum probare. Sufficiat in præsentem ea excerpisse, qua noster Eminentiſſ. S. R. E. Cardinalis Gotti habet *Tom. 9. Theol. q. 2. disp. 2. §. 2. num. 11.* ubi statuit & probat sequentem conclusionem: *Dico, in præfata divisione (gratiæ in operantem & cooperantem) dividitur etiam gratia actualis creata: non quidem que sit nostra actio, sed que sit actionis nostre principium: aliqua nimirum vis, per modum transeuntis, menti nostre impressa; qua Deus operatur & cooperatur in nobis ea, que ad salutem pertinentia volumus & facimus. Nam quæcumque bonæ actiones nostre assignentur, quævis sint quædam gratia, quatenus gratuito nobis donantur; proprie tamen non sunt gratia actualis. Quia gratia actualis est illa, per quam Deus nos movet, vel nobiscum cooperatur ad actiones bonas, seu salutes faciendas: & per consequens ea gratia debet esse quædam istarum actionum principium; & illæ actiones illius gratiæ effectus esse debent.* Et confirmat hoc D. Thomas 1. 2. q. 111. art. 2. ubi gratiam actualem, quam dividit in operantem & cooperantem, vocat Divinum auxilium, quo Deus nos movet ad bene volendum & agendum: ergo ex mente S. Doctoris, gratia non est ipsa volitio, sed aliquid prius, & causa nostræ volitionis. Et in responsione ad 3. Homo autem, inquit, per gratiam operantem adjuratur a Deo, ut bonum velit: ergo bonum velle, est effectus gratiæ operantis, & non ipsa gratia operans. Unde in corpore ejusdem articuli ait: *Si gratia accipitur pro gratuita Dei MOTIONE, qua movet nos ad bonum meritorem, convenienter dividitur gratia per operantem & cooperantem. Quibus apparet S. Doctorem loqui de gratia actuali; quæ non solum distinguitur ab actione create voluntatis, ad quam movet, & quam facit, ut causa; sed quæ distinguitur etiam a Deo, & ab actione æterna, & increata Dei, tanquam motio, & impressio temporalis ab ea producta in voluntate creata, qua Deus voluntatem movet: unde illam vocat auxilium, motionem . . . Imo S. Augustinus explicans modum, quo Deus facit ut velimus, ac faciamus, dicit, (1) quod hoc præstat præbendo vires efficacissimas voluntati. Item, lib. de grat. Christi. cap. 2. gratiam consistere ait, in aliqua subministratione virtutis. Et S. Bonaventura dicit: (2) *Unde non est aliud dicere, gratiam movere liberum arbitrium, quam gratiam esse instrumentum Spiritus Sancti ad movendum liberum arbitrium.* Non est ergo gratia actus liberi arbitrii, sed instrumentaria virtus, qua Spiritus Sanctus movere liberum arbitrium ad actum. Hæc per transennam dicta sunt: ut pateat antiquitas, nobilitas, orthodoxia systematis, potentis gratiam actualem operatricem in auxiliis fluidis & transeuntibus. Nunc ad Quænellum revertamur.*

II. Cum Janenii carissimi magistri sui (3) necessitatem gratiam in vulgus propagare, Reflexionibus suis moralibus apud se statueret Quænellus, ea idea gratiæ propinanda erat, qua semel deglutata, error ipse absque nausea ebiberetur. Proposito huic fini, convenientissimum visum est, si crederetur gratiam aliud esse nihil, præter Dei omnipotentissimam voluntatem. Tum nec unquam resisti, nec gratiæ resisti posse, non difficulter, hac idea imbutis, persuasurum se credit. Scilicet, quia Scripturæ ipsæ dicunt: (4) *Voluntas ejus quis resistit?* Et: *Non est qui possit tunc*

Serry Tom. V.

resistere voluntati. (5) Huc ergo colligant propositiones istæ: disponere legentium animos, ut credant facilius, gratiæ Dei nec resisti, nec resistere quemvis posse. Unde quemadmodum arbor virtute continetur in semine: ita in his propositionibus gratia ipsa necessitatis Janeniana: dicam melius; Lutheri & Calvinii, virtualiter continetur. Nemo igitur inquiret, cur propositiones istæ sint damnatæ? Merito quippe damnatur ovum, ex quo venenatus pullus prævidetur nasciturus. Nisi dicere mavis, ovum esse pulum jam inchoatum; eademque cum illo censura dignum.

III. Inest tamen alia hæc propositionibus malitia. Cum enim indefinitæ sint, & in materia doctrinali, æquivalent universalibus propositionibus, Unde significant, nullam dari gratiam, per Spiritum Sanctum cordibus nostris infusam, eisque inherentem: quod damnatum esse in Eodem Concilio Tridentino, c. præced. p. 94. n. 17. ostendimus. Deinde, si gratia non est aliud, quam voluntas omnipotentis Dei, jubentis, & facientis quod jubet, ubi erit gratia sufficiens, qua opus nullum sit quidem, fieri tamen potest? Ubi gratia, cui secundum Scripturas, Concilia, Romanosque Pontifices sæpe resistitur? Aut si in hoc statu nunquam resistitur gratiæ, perperam, quod absit, damnata est secunda Janeniana: *Inferiori gratiæ in statu natura lapsæ nunquam resistitur.* Nec juvat quod Quænellus nullam admittat gratiam inferiorem: nempe ex hoc capite præ Janenio merebatur condemnari; prout ex dictis colligi potest. Cæterum, quod de negatione gratiæ sufficientis obiter dictum est, in sequentibus magis confirmabitur, ad quæ Lectorem remitto.

## §. II.

Propositiones Quænellianæ, censura notatæ.

Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis; utpote que est operatio voluntatis omnipotentis, sequela & imitatio operationis Dei incarnantis & suscitantis filium suum. Est 21. Quænellus 2. ad Cor. 21.

Concordia omnipotentis operationis Dei in corde, hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu demonstratur illico nobis in incarnatione, velut in fonte atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiarum, & gratiarum: que omnes ita gratuite, atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio. Est 22. Quænellus Lucæ 1. 33.

Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis sue gratiæ, eam significans per illam, qua creaturas e nihilo producit, & mortuis redat vitam. Est 23. Quænellus ad Romanos 4. 17.

Iusta idea quam Centurio habet de omnipotentis Dei & Jesu Christi, in sanandis corporibus solo motu sue voluntatis, est imago ideæ, que haberi debet de omnipotentia sue gratiæ, in sanandis animabus a cupiditate. Est 24. Quænellus Lucæ 7. v. 7.

Deus illuminat animam & eam sanat, æque ac corpus, sola sua voluntate; jubet & ipsi obtemperatur. Est 25. Quænellus Lucæ 18. 42.

IV. Ad hanc summam revocantur propositiones illæ omnes: quod operatio divinæ gratiæ

(1) Lib. de grat. & lib. arb. cap. 16. (2) 2. Sent. dist. 26. in fine. (3) Vita Clæ. XI. l. 4. n. 37. (4) Rom. 9. v. 19. (5) Eith. 13. 9.

tie in flecenda movendaque hominis voluntate, similis esse dicatur operationi divinæ, quæ Deus res omnes creando produxit, humanam naturam divinam in incarnatione conjunxit, mortuos suscitavit, ægris sanitatem restituit, (1) Ait Theol. suppl. & bene: verum in hisce Dei operationibus multa considerari possunt. Nempe 1. Infallibilitas in effectu producendo. 2. Defectus resistentiæ, ac etiam resistendi potentia in creatura, quæ aut producitur, aut sanatur pro nutu & imperio Dei, aut alteri naturæ unitur. 3. Modus operandi: nam hæc opera ita Deo auctori adscribuntur, ut ad ea creatura, nullatenus active, sed mere passive se habeat. 4. Demum gratuita: quatenus nullis præcedentibus meritis, & mundus creatus est, & humana natura divinæ copulata, & mortui suscitati sunt &c. Potest ergo operatio gratiæ hisce divinæ potentia operibus comparari, sive quantum ad omnes illas prerogativas, sive quoad aliquam vel aliquas tantum. Et quidem fatetur mox citatus auctor, quod si comparationes incarnationis, creationis, suscitationis mortuorum, curationis ægrotorum adhibere forent a Quesnello, ad gratiæ necessitatem, solum libertatem a coactione exigentis, ideam ac speciem animis ingendam; quasi tam non possit voluntas humana gratiæ dissentire, quam non potuit humana in Christo natura negare se Verbo Dei, eam sibi ad unionem hypostaticam assumenti; nec potuit creatura ex nihilo educta negare se creatoris imperio; nec suscitati mortui negare se Christi voci, nec demum restituta ægris membra subducere se omnipotentis medici jussu valuerunt: ad hæc, inquam (Verba sunt illius auctoris) (2) adhibita comparationes, inepte omnino sunt, & in hæresim apertam inducunt. Nihil ergo superest, quo pateat meritissime has propositiones a Clemente XI. damnatas esse, nisi ut probetur, a Quesnello institutas similitudines illas, ad inculcandum, cum divina gratiæ necessitante, solum spontaneitatem, in homine lapsio, ad libertatem sufficere: id est, satis esse, quod homo gratiæ consentiat sponte, etsi necessitate impellente; dummodo non cogente.

V. Id probare non difficilis est negotii. Si enim ego, aut alius quisvis Theologus, exempla illa incarnationis, creationis, suscitationis mortuorum, aut sanationis ægrotorum aptissima esse ad ostendendam concordiam libertatis cum divina gratiæ efficaciac diceret, nonne merito mihi aut illi tribueretur, quod sentiret ad libertatem minime requiri indifferentiam ad opposita, sufficere solum spontaneitatem, sive immunitatem a coactione? Utrique dices: nam in omnibus illis exemplis aliud nihil quam pura spontaneitas, seu immunitas a coactione, minime vero a necessitate reperitur: itaque, si hominem liberum esse sub gratiâ dicerem, quia se habet sicut illa, circa quæ operationes ista divina versantur; liberum dicerem, quia spontaneus homo agit non coacte. minime vero ex eo quod ad opposita indifferens sit. Sic autem sese res habet cum Quesnello. Exempla illa induxit ut ostenderet, qualiter cum efficaciac gratiæ cohzreat arbitrii libertas; nedum ad probandam gratiæ efficaciac infallibilitatem, ejusve gratuitatem: quod ut probem solum repetenda est propositio 22. hic ordine secunda: **CONCORDIA**, inquit, **omnipotentis operationis Dei in corde hominis, CUM LIBERO IPSIUS VOLUNTATIS ARBITRIO**, demonstratur illico nobis in incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiae & gratiæ. Viden qualiter exemplo incar-

nationis utatur, ad explicandam gratiæ, & libertatis concordiam? Quod si comparatio subsisteret, dicendum foret: ideo liberum arbitrium manere illatum sub gratiâ, quia non coacte, sed spontaneus operatur, seu, ad agendum applicatur; sicut humanitas non coacte, sed sponte unitur divinitati in incarnatione: est enim comparatio, diversarum rerum in simili qualitate collatio. Et licet postea in eadem Quesnelli propositione sequatur: *Quæ omnes ita gratuite, atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio inde non sequitur, quod comparatio illa inducta sit unice, ad ostendendam gratuitatem & dependentiam gratiæ a Deo; sed, quod non adhibita sit unice, ad ostendendum liberi arbitrii cum gratiâ concordiam; verum ad alias etiam gratiæ divinæ proprietates ostendendas.*

VI. Confirmatur hæc probatio ex Augustino. Pelagius in scripto, nescio quo, confessus videbatur gratiam Dei. Id legens Augustinus, *Latentia repente*, inquit, *(3) perclusus sum . . . sed pergens legere cætera, primo ex daris similitudinibus, capi habere suspectum. Ait enim: Nunc si dixero, homo disputare potest, avis volare, lepus currere, & non etiam per quæ hæc efficiuntur commemorare, i. e. linguam, alas, pedes, num ego officiorum qualitates negavi, qui officia ipsa concessus sum? Videatur certe hæc cum commemorasse, quæ natura valent . . . non tale aliquid posuit quale de gratiâ intelligi volumus. Hæc August. Cum ergo Quesnellus ad ostendendam gratiæ cum libero arbitrii concordiam, utatur similitudinibus, solum coactionem excludentibus; ejus propositiones juxta August. ut minimam suspecta sunt, quod tendant, ad gratiæ necessitatem, solum libertatem a coactione exigentis, ideam ac speciem animis ingendam.*

VII. Est & aliud quod in hisce propositionibus male olet, nempe, si omnis gratia ita, ut creatio mundi, resuscitatio mortuorum &c. est gratuita, poterit Deus omnem gratiam; & citra injuriam, & citra indecentiam ullam negare homini, etsi iusto, conanti & volenti: sicque patet porta ad primam Janseianam. (4) Quapropter, secundum regulam nostram secundam, proscribi debuerunt: attentio vel maxime, quod auctor eam primam Janseii defendisse comperitum esset, ut pag. 56. n. 10. dictum est.

VIII. Fateor tamen his exemplis non incongrue posse explicari gratiæ efficaciac infallibilitatem, & indefectibilitatem; quandoquidem, ut observatur in *Theologia supplicii*, (5) ad hoc, non modo apta concinnaque exempla illa sunt, verum etiam ex Sacris Litteris petita; & a SS. Patribus, ut hoc idem ostendunt, milles usurpata. *Ad Ephef. 1. v. 18. & 20. Ut sciamus . . . quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus, secundum operationem potentia virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis.* Ecce explicatam efficaciam gratiæ exemplo suscitationis Christi a mortuis. *Ibidem c. 2. v. 10. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ preparavit Deus, ut in illis ambulemus:* explicat efficaciam exemplo creationis, creati inquit; gratuitatem: *in operibus bonis, quæ preparavit Deus;* non solum prævidit, *Ad Galat. 6. v. 15. In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.* Ecce rursus gratiæ collationem creationi assimilata. Valent quoque hæc exempla ad ostendendam gratuitatem totius cumuli gratiarum, vel primæ gratiæ: quam indepen-

pendenter ab ullo bono voluntatis nostræ motu, qui nobis esset ex nobis; a Deo largiri, SS. PP. constantissime docuerunt. S. August. *lib. de Prædest. SS. cap. 15. Est etiam præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipsæ Salvator, ipse mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus: qui ut hoc esset, quibus tandem suis, vel operum, vel si dei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est, comparavit? En gratiæ nostræ gratuitatem exemplo incarnationis explicatam.* Hoc rursus repetit *De Dono persever. cap. 24. Nullum autem est illustrius prædestinationis exemplum, quam ipsa Jesus. Et quibusdam interjectis, Qui ergo hunc, inquit, fecit ex semine David hominem justum, qui nunquam esset injustus, sine ullo merito præcedentis voluntatis ejus, ipse ex injustis facit justos, sine ullo merito præcedentis voluntatis ipsorum; ut ille caput, hi membra sint ejus. Quod etiam habet in *Inchir. cap. 26. Item de Genesi ad lit. lib. 8. cap. 12. explicans illud Apostoli, ad Eph. 2. Ipsius enim sumus factura, sive, ut ipse legit, signum, ait: Ipsius enim sumus signum, non tantum ad hoc ut homines finis, sed ad hoc etiam ut boni finis. Sanctus Prosper similiter efficaciam, infallibilitatem, indefectibilitatem & gratuitatem gratiæ desumit ex beneficio creationis, in carmine de ingratis. (1)**

*At si dimotis certandi nube, serenis. Quæ sunt vera oculis necum intueare modestè; Et cætera exemplis manifestis plana videbis. Secula, & in vestro cognoscere tempore multa, Quæ doceant, VIRTUTE DEI conversa malorum. Corda, quibus RECTI NIHIL unquam infederat, & quæ NULLUM justitia SIGNUM SENSUMVE gerant.*

*Namque ut nunc sacras gentes & barbaram regiam Ignari prius, aut sperit, nova gratia Christi Attrahit, & terra templum sibi condit in omni; Sic prius inimicos populos, urbsque rebelles Videntes obstantes annos pietate, subegit. Non hoc consilio tantum hortatusque benigno Sædens atque docens, quasi novam legis haberet GRATIA, sed mirans INTUS mentem atque rege formans, Vasque novum ex stulto fingens, VIRTUTE CREANDI.*

IX. Hisce hinc si continuisset sese Quesnellus, nullus ei litem movisset. Verum, cum hisce exemplis usus sit, ad ostendendam gratiæ & liberi arbitrii concordiam; merito damnatus est, tamquam qui aperte doceat, ad libertatem non requiri indifferentiam ad opposita, solumque sufficere spontaneitatem, sive quod idem est, immunitatem a coactione, quod jam olim in Janseio damnatum & Galvino in quorum hæresim exempla illa, ita aptata, ad declarandam sollicitè hujusmodi concordiam, aperte, uti fateatur auctor *Theologia supplicii* indicant. (2)

X. Quia, si rigorosam hisce propositionibus litem movere volumus, Lutheranæ quoque hæresis liberum non exiguum, facile erit deprehendere: scilicet, quod sicut humanitas in incarnatione, creatura omnes in prima sui productione, mortui in resuscitatione, infirmi in sua curatione, solum passive se habuerunt, ita quoque liberum hominis arbitrium, in operationibus gratiæ, solum passive se habet: quod ad Lutheri spectat hæresim, uti eruditis notum est, & Quesnelli hæc verba significant: *Omnes operationes gratiæ . . . dependentes a Deo sunt, ut ipsa originalis operatio . . . id est, tamquam a principio*

effectivo adæquato. Voluntas ergo solum passive se habet.

## §. III.

Propositio Quesnelliana, censura notata.

Gratiæ est operatio manus omnipotentis, quam nihil impedire POTEST aut retardare. Est. 10. Quesnellus *Matth. 20. 34.*

XI. Præcedenti paragrapho ab exemplis, quibus Quesnellus utitur, ostensum est, gratiam, pro statu naturæ lapsæ solum spontaneitatem seu immunitatem a coactione nobis relinquere: imo sub gratiâ liberum arbitrium se dumtaxat passive habere; tantumdem enim significant exempla illa, si rigore expendantur; Quesnellumque incidisse in hæresim Lutheranam. Sed demus aliquid gratiæ Quesnello; non in toto rigore juris capiantur exempla ista; sit immunitas a Lutheranismo; at non propterea statim evadet catholicus. Est inter Fidem catholicam & Lutheranismum casus magnus: a dextris præcipitia in quæ incidere, a sinistris dura cautes, ad quas alidere facillime quis possit, nisi lucernam positam supra candelabrum, Romanæ, inquam, Ecclesiæ decisiones continuo præ oculis habeat. Viam rectam demonstrat Tridentinum, dum *Sessione 6. can. 1. 2. & 3. monuit Pelagianorum & Sempelagianorum errores cavendos: deinde can. 4. accedens ad condemnanda Lutheri dogmata, non solum anathematizat eos qui dixerint, Liberum arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; verum eos quoque, qui dixerint: Neque posse dissentire, si volit. Est ergo Quesnellus gratis a Lutheranismo absolvetur, negari tamen haud potest, in hunc postremum errorem incidisse. Hoc probatum dedi §. præcedenti ab exemplis quibus utitur: hic vero etiam patet ex propria ejusdem confessione. Gratiæ, inquit, est operatio manus omnipotentis, quam nihil impedire POTEST aut retardare.*

XII. Quam est hæc propositio similis huic Calvinii: (3) voluntatem movet, Deus, non qualiter multis sæculis traditum est & creditum, ut nostræ postea sit electionis, morum aut obtemperare aut refragari: sed illam efficaciter efficiendo. Illud ergo totius a Chrysostomo repetitum repudiari necesse est: Quam trahit volentem trahit. Item: (4) Medium, quem Sophistes imaginantur motum, cui obsequi, vel quem repellere liberum sit, aperte excludi videmus, ubi asseritur efficaciac ad perseverandum constantia. (5) Sed, ait auctor *Theol. suppl. Pares omnino loquendi formulas, immo graviore, majorisque nervi in Augustino deprehendo; quibus gratiæ seipsa efficaciac intimam energiam, vim propriam irresistibilem, indeclinabilem potestatem, insuperabilem fortitudinem milles commendavit. Tam artificiose hæc dicuntur, ut ea legens existimare posset, Quesnellum duplex distinxisse gratiæ genus, aliud quod sufficiens dicimus, aliud efficaciac; ac de hoc postremo membro protulisse propositionem, quam modo exagritamus. Nisi hoc supponatur, rotum; quod hic dicit, recidit in nihilum. Quid enim, si Augustinus similia dicit de gratiâ seipsa efficaciac; an propterea non erit damnandus Quesnellus, qui de gratiâ universim eadem prædicat? Et ubi in toto *Observationum* libro inveniet aliquid, quo hæc altute suppositam gratiæ distinctionem stabiliat? Sed pergamus, videmusque ubinam Augustinus loquatur paria, & majoris etiam nervi ac Quesnellus.*

O o 2 XIII.

(1) Pag. 184. (2) Pag. 185. (3) De nat. & grat. c. 11. (4) Pag. 41. (5) Pag. 186.

(1) Cap. 17. (2) Pag. 185. (3) Lib. 2. in fine c. 3. n. 10. (4) Ibid. (5) Pag. 167.

XIII. Ex omnibus, quae producit, locis, nullus in speciem forrior, desumpto ex lib. de corrept. & grat. cap. 14. ubi Augustinus inter cetera ait: Non est itaque dubitandum, voluntati Dei humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult. Hae omnino videtur dicere eadem cum illa Quesnelli propositione: imo cum iis quae antea ex Calvino retulimus. Attamen a praeterea hac cum Calvino, adeoque cum Quesnello, collusione, pridem Serrius noster ultus est Augustinum, in suo contra Launoyum Augustino vindicato, (1) cuius verba hic transcribere non piget: „ Pariter & ista (propositio) duplicem sensum. Aut enim de obediendi potestate, adiu conjuncta, sermo fit; ut nimirum contingere reapse non possit, ut Deo efficaci gratia moventi resistat homo: estque Augustiniana, eademque probatissima doctrina laudatis paulo supra Scripturarum, Conciliorum, atque Pontificum testimonio confirmata: Aut de potestate ab actu sejuncta, quam Scholae Magistri antecedentem appellat, sermo venit; quae si ne dissentienti quidem potentiam servet homo, sub imperio divinae gratiae; estque Lutheri (addamus & Calvinii ac Jansenii) detestandus error, ab Augustino apertissime praedamnatus, cum alibi saepe, tum maxime libro de spi. & lit. cap. 34. Quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat [ nec enim credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit sua, vel vocatio cui credat ] praesens & ipsum velle credere Deus operatur in homine: & in omnibus misericordia eius prevenit nos: consentiunt autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propria voluntatis est. “

XIV. Ecce qualiter Augustinus in libera hominis voluntate, tunc etiam, quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat; quando iam adest vocatio & suasio Dei, admittat potestatem consentiendi, vel ab ea dissentiendi: Consentire vel dissentire propria voluntatis est. Quod ergo alibi dicit: voluntates humanas non posse resistere voluntati Dei; id de consequenti voluntate, conjuncta cum actu necessario intelligendum venit. [ 2 ] Quid quod eo ipso loco eandem consentiendi & dissentiendi potentiam in voluntate, quam simul dicit, voluntati divinae non posse resistere, Augustinus admittat? Nonne, si hoc ostendero, fateberet: Augustinum, nisi in una eademque periodo sibi ipsi voluisset turpiter esse contrarius, de alia & alia potentia intelligendum esse? Age ergo videamus utrum ex eodem ipso loco id extrudi valeat. Nolo dicas me Augustinum volentem nolentem in hunc sensum torquisse vel adegisse; quapropter Augustinus ipse pro se loquatur: Non est itaque dubitandum voluntati Dei... humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult: quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit. Nisi forte, [ ut ex multis aliqua commemorem ], quando Deus voluit Sauli Regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, & non subdere, QUOD UTIQUE IN EORUM ERAT POSITUM VOLUNTATE, ut etiam Deo valeret resistere. Qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret inclinandum omnipotentissimam potestatem. Audisti subdere se memorato viro, vel non subdere in Israelitarum fuisse positum voluntate, & nihilo tamen minus, non posse voluntates hominum Dei resistere voluntati? Quomodo ergo haec conciliabis, nisi dicas, potuisse illos se subicere & non subji-

(1) Pag. 42. (2) De corrept. & grat. cap. 14.

cere potentia antecedente, non potuisse se non subicere potentia consequente: id est, fieri non potuisse, ut Deo absolute volente Sauli tradere Regnum, homines non ei se submitterent: hoc enimvero fuisse Deo formaliter resistere: quod Augustinus post Scripturas bene negat fieri unquam posse.

XV. Hinc jam fieri satis poterit praeposteris quorundam lamentationibus, querulantium, dure nimis ac inhumaniter, cum Quesnello actum; utpote cujus asserta in toto rigore, absque ulla mitigatione interpretata, damnata sint; cum tamen aliorum, & maxime Augustini phrasas, benevola expositione molliori non nihil soleant. Praeposteram sane querimoniam, qua cum Augustino Quesnellum componat? Verum hoc omisso, ex modo dictis fat patens est; nihil, dum Augustinum ita exponimus, per indulgentiam ei condonari, verum jure id suo exigere Augustinum; qui & alibi, & eo ipso quoque loco ubi assertit voluntati Dei non posse resisti, potentiam tamen ad faciendum vel non faciendum id quod Deus vult, in voluntate clarissime admittit; & tantum non usus est materialibus vocibus antecedentis & consequentis potestatis: adeo ut injuria ipsi gravissima fieret, si aliter ejus dicta exponeretur. At vero Quesnellus, nectum apud Marth. cap. 20. v. 34. ubi hanc propositionem habet, sed nec ullibi, in toto Reflexionum Moralium opere quidquam habet, quod rationabile fundamentum praebet, cum benigne interpretandi: quin potius videri debeat noluisset, taliter dicta sua exponi. Facillimum fiquidem erat ei, post damnatos Lutherum, Calvinum, Jansenium, post vulgatas in scholis & libris distinctiones, potentiae antecedentis, consequentis; potentiae simulatae, simulatae potentiae; sensus compositi & divisi, adhibita ex his distinctione aliqua, sensum pravum praevertere: sciebat in Scholis catholicis plura affirmari aut negari de gratia efficaci, quae de gratia universaliter loquendo non tolerantur: & post haec omnia, audent generaliter asserere, gratiam nihil impedire posse vel retardare; nullo adhibito dicti sui lenimento: an non hoc signum est evidentissimum noluisset propositiones suas sensu, catholicis scholis usitato, accipere? Quis ergo miseretur ejus, qui sui miserus non est? Qui tam manifeste ostendit se catholice intelligi ne quidem velle, sed potius Jansenitice? Qui infelix esse voluit, quia fieri noluit alieno periculo cautus? Jansenii, inquam, periculo & condemnatione cautior fieri debuerat, atque a damnatis in eo phrasibus abstinere. Noluit id Quesnellus sequi consilium; sed quasi animosior ex dilectissimi Magistri vulnere factus, cum is solum dixisset: interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur; atque propterea damnatus: ausus est etiam addere aliquid Magistro, dicens: gratiam nihil impedire POTEST aut retardare: quasi non plus esset hoc postremum, ac illud primum.

XVI. Non ergo est quod querantur Quesnelli fautores de nimio rigore adhibito in damnandis ejusdem propositionibus, durus ipse prior fuit, & in omni rigore sententias suas intelligi voluit; qui cum posset, & deberet mollius loqui, aut saltem insinuate, quo sensu intelligi optaret, id omnino neglexit. Si tamen neglexit, & non potius positive moluit. Durus ipse fuit, qui Summis Pontificibus, in Jansenio hujusmodi locutiones proscriptibilibus, deferre nihil voluit, catholicorum scholarum loquendi modo sese conformando. Scilicet putavit non majorem inesse Summi Eccl-

Ecclesiae Pastoribus, quam olim Romanorum Imperatoribus, potestatem; qui homines licet donare civitate possent [ ut quidam scite iniquabat olim ] verba non poterant: at in eo erravit turpiter. Cum enim Pontificum Romanorum interfit maxime, providere, ut antiquae haereses funditus evellantur, ne identidem succrescant: ex verbis autem inordinare prolatis incurrat haeresis, ut ait S. Hieron. apud S. Thomam, [ 1 ] illorum est, verba Ecclesiae donare, & Civitate; quibus qui non deserat, reus fiat. Durus Quesnellus prior fuit, qui universa Ecclesia, quae Pontificum Romanorum Decreta circa Jansenium reverenter, uti debebat, Deceperat, sapientior videri volens, in suo sensu maluit abundare, quam se humiliter, & ordinis sui, & Ecclesiae iudicio subicere. Quid ergo mirum, quod in rigore ejus fuerint acceptae propositiones, cum scriptum sit, [ 2 ] Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala? Magis mirandum, imo oblitescendum est, inventiri potuisse etiamnum hominem, usque adeo durum & faxeam, ut maluerit in dubium vertere, Pontificiae Romani, & universa per orbem Ecclesiae, an vero Quesnellus erraverit? Hoc est vere dubitare, an Spiritus Sanctus Ecclesiam deseruerit, Sponsam suam; & ad refractarium & inobedientem sacerdotem sese adjunxerit.

XVII. Scio Quesnelli patronos praetendere, antequam suum, a quo nomen ipsis, aliud docuisse nihil, praeter id quod docent Thomista, quantum spectat potentiam resistendi gratiae: sed quod mentiar iniquitas sibi, vel inde solum pater, quod Thomistica loquendi formulae a summis Ecclesiae Pastoribus, etiam recentissima memoria, si sint approbata, Quesnellicae damnatae. Sed, in tibi accuratam, discernendi Thomistam inter & Quesnellitam, citatione: Pete, an gratia privari possit, & etiam priveretur aliquando effectui aliquo, quem Deus gratiam largiens, antecedenti, sed tamen beneplaciti, voluntate intendit? Videbis Quesnellitam, post multas ambages, hoc tandem affirmurum, quod gratia privari possit, imo priveretur saepe aliquo effectui, quem ex natura sua posse habere: at, quod priveretur aut etiam privari ulla ratione possit effectui, quem Deus per eam intendit, fatebitur nunquam. Thomista tamen & hoc libenter, post S. Thomam, admittet. Pete, an gratia aliquando resistatur, aut resisti possit? Respondentur, resisti saepius etiam efficacissima gratiae. Verum si urgeas, hanc aut similem, si candide loqui velint, explanationem obtinebis. Sicut lapis resistit impetui, a quo tamen necessario vincitur: ita liberum arbitrium, concupiscentia stimulatam resistit gratiae, attamen vincitur. Sed quis, obsecro, Lutheri aut Calvinii discipulus hoc non libentissime admittat? Luth. Resp. ad ar. 36. ait: In gratia dum fuerit natura ejus talis est, ut contra gratiam indomitam pugnet. Erit ergo & ipse catholicus? aut si non est, nec propterea Quesnelliani catholici censeri debent.

§. I V.

Propositiones Quesnellianae, censura notatae.

Quantumcumque a salute remotus sit peccator obli-vatus, quando Jesus ei se videndum exhibet lumine salutari suae gratiae, OPORTET ut se de-dat, accuset, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum. Est 14. Quesnellus Marti 5. v. 6. & 7.

Quando Deus mandatum suum, & suam externam locutionem comitatur unctioe sui spiritus, & interiori vi gratiae suae, operatur ille in corde obedientiam, quam petit. Est 15. Quesnellus Luca 9. 60.

Nulle sunt illecebrae, quae non cedant illecebris gratiae, quia nihil resistit Omnipotenti. Est 16. Quesnell. Act. 8. 12.

Gratia est vox illa Patris, quae homines interiori docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum. Qui-cumque ad Deum non venit, postquam au-divit vocem exteriorum fidelium, NULLATENUS est doctus a Patre. Est 17. Quesnellus Joan. 6. v. 45.

Semen Verbi, quod manes Domini irrigat, SEM-PER asserti fructum suum. Est 18. Quesnellus Act. 11. v. 21.

XVIII. S. Augustinus adductis quibusdam Pelagii verbis, non plane sibi satisficientibus, sic contra eum expostulat: Et certo maxima hic erat causa exprimendi, quam diceret gratiam, ubi locum ipsum de quo responderet, sic conchiste Apollolus, ut diceret: „ Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum Nostrum. „ Similem expostulandi occasionem & causam nobis hic praebet Quesnellus. Ecce enim quique praemissa de gratia propositiones, gratiam semper effectum habere aperte docent, necessitatem inferre non obsecrare inuunt, ei resisti non posse, colligendum relinquunt: maxime ergo causa suberat, ut diceret de qua gratia intelligi veller: utrum de omni omnino interiori gratia, an de unico ejus membro; efficaci videlicet, ut distincta a sufficienti. Rursus explicandum erat, de qua necessitate loqueretur, dicens: Quantumcumque a salute remotus sit peccator obli-vatus, quando Jesus ei se videndum praebet, OPORTET ut se de-dat &c. Explicandum erat, inquam, an id intelligeret de necessitate consequentiae tantum; an etiam de consequentis, ut in Schola loquimur, necessitate: item, an non possit resisti, tam antecedenter, quam consequenter. Hoc ille cum neglexerit, aut contempserit facere, quidni utamur juris regula illa: Contra eum qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.

XIX. Ex hac ergo juris aequissima regula contra Quesnellum haec propositiones interpretandae veniunt; ut sibi imputare debeat, aut ei debeant asseclae, quod damnatus sit, velut renovans secundam Jansenii, ab universa Ecclesia damnatam assertionem: Gratia interiori in statu naturae lapsae nunquam resistitur. Tandem inesse his propositionibus, negabit nemo, qui Logicae regulas non omnino ignoraverit. Docent dialectici apud nostrum Antonium Goudin, de regulis suppositionis propositionem indefinitam in materia naturali, aut quasi naturali, universali; in materia vero contingenti, aut quasi, particulari aequipollere. Ubi cum nonnulla inter dialecticos controversia, scriptor famosus, pariter famosus Porrus Rogii Antonius Arnaldus, in suo De arte cogitandi sat noto opere, par. 2. cap. 10. observat. 6. sequentem regulam rationabiliorem existimat: Poterit itaque, inquit, hic alia distinctio adhiberi, quae ad rem magis sit; scilicet, has propositiones indefinitas, in materia DOCTRINALI, universales esse, ut hic, Angeli sunt incorporei: in rebus vero facti, & narrationibus historicis, esse particulares, ut quando in Evangelio dicitur: Milites, plebanes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus: Perspicuum enim

(1) 1. p. q. 31. ar. 2. (2) Proverb. 13 v. 3. (3) De grat. Chr. cap. 39.

enim est, hic aliquos, non omnes milites intelligi. Hoc ergo Auctore, Quesnellianis haud suspecto Judice habemus, omnes illas Quesnelli propositiones, utpote dogmaticam & doctrinalem spectantes, utiversalibus aequipollere. Idem ergo illis sensus subest, qui secundae Jansenianae mox relatae.

XX. At necesse non est contra Quesnellum ex Juristarum aut Dialecticorum officinis arma accerere, quando ipse damnatus auctor nobis gladium porrigit, quo eum confodiamus. Inspice, Lector, & deponita omni praeventione perpende decimam septimam, hic ordine quartam propositionem, appende eam, sed in pondere Sanctuarum. In illa propositione solum video duplicem gratiam discretam: exteriorem, & interiorem. Exterior, est vox fidei, puta Apostoli, aut praedicatoris annuntiantis fidem: interior, est vox Patris, qua homines interius docet, ac eos deinde facit ad Jesum Christum. Si quidam non veniant ad Christum, non inde inferre licebit, eos exteriorem vocem fidei non audivisse, quia exterior illa gratia, vox praedicatoris fidei, non habet efficaciam certam & infallibilem: unde fieri possit, ac saepe fit etiam, quod multi audiant fidei praedicationem externam, non tamen ad Christum veniant, uti Acta Apostolorum cap. 17. testimonium perhibent: quippe vel Paulo praedicante Athenis. Quidam quidem irridebant, quidam vero dicebant: Audiamus te et haec sermone. . . . quidam vero viri adhaerentes ei. Sed pone, quod vox patris interius doceat: omnes quicumque audiunt, veniant: illa siquidem, non modo hortatur, ut veniant, sed facit deinde efficaciter ad Christum: instantium, ut si quando non veniant omnes, quotquot audiunt vocem exteriorem fidei, si quidem est manifestum, eos qui non veniant, NULLATENUS esse doctos a Patre. Si enim ALIQUATENUS essent docti, utique veniant, quia vox Patris est vox Omnipotentis, ut dicitur tertia propositio, cui nulla iniecerat non cedunt: Re sermone verbi, quod manus Dei irrigat, id est vox Patris, SEMPER affert fructum suum. Qui taliter discit, an non tibi videtur secundam Jansenii renovare propositionem: Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur? Ita tamen discit Quesnellus: & si hunc, quem exposui, sensum non habent adducta ejus propositiones, nullam habent.

XXI. Videamus nunc, an forte aliud quidpiam in hae propositionibus latere possit. Seto equidem Paschasium infamatum, quod non propositionem aliquam unicam, sed propositiones etiam in plurali renovaverit Jansenii. Tertia Jansenii propositio est: Ad merendum vel delectandum non requiritur in homine libertas a coactione, sed sufficit libertas a coactione. Hanc quoque in hae propositionibus insinuat infelix Paschasius. Quid enim, amabo, tibi vale? Quantumcumque a salute remotus sit peccator obliuatus, quando Jesus ei se videndum exhibet lumine salutari suae gratiae, OPORTET ut se dedat, occurrat, sese humiliter, & auctore Salvatorem suum? Nemo sibi persuadeat, illud OPORTET, si tantum, solum importare convenientiam, decentiam, opportunitatem; nihil minus quam necessitatem simplicem, id est, solum immunitatem a coactione significat. Id, praeterquam fat confiter ex dictis, toto hoc capite, probo primo, quod mirabere, ex eo, quod usus minime fit Quesnellus termino magis significativo, NECESSE EST, quem adhibere aucter potuisset, addito solummodo, explicationis gratia, necessitate

consequentia, non consequentis, & quod loqueretur de gratia efficaci: qua loquendi formula Theologi passim utuntur; haec moderatione uti, consultum non duxit Quesnellus; utique, quia aliter quam communiter sentiant Theologi, sentiebat: diversa ergo voce etiam utendum; & tali, quae in quaestione ubi venisset minori posset expositione absolvi: interim vero proprium auctoris sensum, a communi catholicorum sensu diversum amicus ingereret. Huic fini aptissima erat vox OPORTET, quae dupliti in sensu usurari solet: ut nunc convenientiam, nunc necessitatem significet. Sed quis unquam somniavit Quesnellum, gratiae efficaciam ubique exaggerantem, solum intellexisse, quod convenientiam sit peccatorem obduratum accurrere, se dedere, quando Jesus se videndum ei exhibet? Reliquum ergo est, ut OPORTET, necessitatem significet: non qualem Theologi communiter admittunt, id est consequentiam, sed consequentis, quae Janseniana & Calviniana est.

XXII. Quod si cupiam hanc nostram probatio, non fat urgens videatur; addamus & illam, quam insinuat nos Innocentio XII. didicimus, (1) probationem, ex aliarum cum hac propositionum connexionem petitam. Tanta est energie Christi gratia, sine limitatione ulla, Quesnellus, ut Quantumcumque a salute remotus sit peccator OBSTINATUS, quando Jesus ei se videndum exhibet lumine salutari suae gratiae, OPORTET ut se dedat, accurrat &c. Cur hoc? Quia nihil resistit Omnipotentis, ut habet propositio ordine 3. gratia autem est operatio manus omnipotentis, quae nihil impedire POTEST, aut retardare: est 10. (2) Est imitatio operationis Dei incarnantis & suscitantis filium suum, similis ei, quae creaturas ex nihilo producit, & mortuis reddit vitam. Sed haec operationes inducunt necessitatem absolutam; an hoc sufficit ad libertatem? Ad merendum & delectandum? Utrique; inquit Quesnellus, non quidem in statu naturae innocentis, sed lapsae: nam (3) concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illico nobis in incarnatione; velut in fonte atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiae & gratiae. Qui hoc obsecro, aliud est, quam dicere: Ad merendum & delectandum in statu naturae lapsae, non requiritur in homine libertas a coactione, sed sufficit libertas a coactione?

XXIII. Cum Jansenio igitur, minime cum Augustino concinit Quesnellus: ut merito Episcopus Virdunensis, cateroquin Constitutioni Unigenitus non ut deserat submissus, in mandato suo affirmet, (4) se in Reflexionum libro reperisse complures propositiones, tendentes ad fideles in errorem inducendos: praesertim circa quinque propositiones libri Jansenii. Idem declaraverat Clemens XI. cum in Brevis, Universi Dominici gregis &c. quo primum Quesnellus librum damnaverat 1703. tum in ipsa Constitutione Unigenitus. Non erat ergo in dubium revocandum, fuisse eum propositionibus Quesnelli damnatum sensus Jansenii, an vero SS. Patrum, aut catholicorum scholarum; sed sensus Jansenii in Quesnellus inquirendus & detegendus, pro publici Theologiae Professoris, gradibusque Academicis exornati, qualis se profiteretur auctor Theol. suppl. (5) manere ac debito implendo. Horum siquidem officium est, non modo Constitutionum Apostolicarum, (verba ipsius sunt loc. cit.) Sacrorumque Ecclesiae canonum. . . . Divinarum Scripturarum explanationes atque interpretationes, pro causa quam videntur opportunitate, sa-

(1) Vid. pag. 40. n. V. (2) Vide §. 3. (3) Ibidem. (4) Die 10. Martii 1714. (5) Pag. 5. & 6.

cere mente suo, quibus verum eorumdem sensum atque germanum aperiant (ad interpretandum enim doctores inveniuntur) verum etiam; uti observatum Clementi XI. in Brevis, Circumspecta, (1) quo Facultatis Theologicae Parisiensis privilegia suspendit; Apostolicae Sedis Leges accipere, iudicia subire, decretis obtemperare, poenas exequi, sanctionibus acquiescere: quo Apostolica auctoritate donati fuerunt Doctoratus gradus, nunquam oblitivi, ecclesiasticas poenas formidare, famae suae consulere; ac iusturandum, quo initio omnium actuum academicorum, se nihil unquam dicturos, scripturosque, quod Pontificis Decretis repugnaret, discrete sponderunt, religiosissime observare. Exponere debebat Paschasium, docendo nos, nisi ad malum sine gratia; (2) nisi ad bonum sub gratia, liberos non esse; ita, ut non plus vine habeamus pro peccato, sub gratia baptismali, i. e. Christi, quam homo mortuus pro rebus mundi (est 45. quae haecenus dicta mirifice confirmat) una renovasse Manetis & Joviniani haeresim: de quibus S. Thomas: (3) Habet humana mens, inquit, duas contrarias inclinationes, unam quidem in bonum. . . . quam considerans Jovinianus, dixit, hominem non posse peccare &c. Vide dicenda ad prop. quadragesimam tertiam.

## §. V.

## Propositiones Quesnellianae censura notatae.

Jesu Christi gratia principium efficacae boni cuiuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum. Absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest. Est 2. Quesnellus Joan. 15. v. 5.

Gratia Dei est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus. Est 9. Quesnellus 1. Cor. 12. v. 3.

XXIV. Ex haecenus dictis patere potest, quid Quesnellus senserit, de libero arbitrio divina gratia in statu naturae lapsae afflato: hic aperire incipit, quod sentiat de eodem arbitrio, gratia efficaci nudato: Tale est ipsi, in hoc statu, ut sine gratia efficaci ab eo non solum fiat nihil, boni videlicet, sed nec fieri possit: sine ea nunquam Christum confiteri possumus, quacum nunquam eum abnegamus. Igitur juxta hunc auctorem, haec duo in hoc statu, hominem agere & posse agere, ita connectuntur, ut, sicuti verum est dicere, estque legitima sequela: Homo agit: Ergo potest agere: ita versa vice, sequitur bene: Non agit: Ergo non potest agere: & iterum: Potest agere: Ergo agit. Quam sint haec & principis, & verbis expressis Augustini, cuius discipulus videri voluit Quesnellus, contraria, ex sequentibus patet verbis; (4) Non est autem consequens, ut qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit atque fecerit.

XXV. Ut vis horum verborum capiatur melius, notandum, haec scripta esse ab Augustino, postquam Pelagius coactus argumentis catholicorum, maxime Augustini, coepert aliquid addere primo suo systemati, quo totum negotium salutis committebat libero arbitrio: postquam, inquam, coepert addere Pelagius, gratiam possibilitatis, scribebat haec Augustinus. Patet sequentibus ex verbis ejusdem capitis: Venire posse, inquit, in natura ponit Pelagius, vel etiam, UT MODO DICERE COEPIT, in gratia; qualemlibet eam sentiat, quo ipsa, ut dicit, possibilitas ADJUVATUR.

Putavit Jansenius, & post eum Quesnellus, quod Augustinus referret Pelagium, ut loco illius auxilii, adjuvantis Possibilitatem, pro statu naturae lapsae, substitueret auxilium voluntatis & operis: (idem tenuit Arnaldus in Analytica Synopsi libri de corr. & grat. cuius verba init. §. 8. referemus) sed erravit a mente S. P. Augustini toto, ut ajunt, ostio. Hic enim non voluit, ut abiectione auxilio adjuvante possibilitatem, aliud, voluntatis & operis dictum, eidem substitueret, sed adjungeret priori. Hoc ex infinitis locis demonstrare, non foret difficile: pauca asseram, sed manifesta. Cap. 23. (5) ejusdem libri, sic contra Pelagium Augustinus: Desinat itaque jam Pelagius & seipsum & alios fallere, contra Dei gratiam disputando. Non propter illorum trium unum, id est propter possibilitatem bonae voluntatis atque operis, sed ETIAM propter voluntatem & operationem bonam, & erga nos gratia Dei predicanda est. Sciunt latinisita Te, etiam, plerumque vim habere addendi aliquid praesentanti: Cicero in Brutum: Vocem, motu, forma etiam magnifica: eam significationem firmat Augustinus paulo post dicens: Non SOLUM enim Deus posse nostrum donavit, atque ADJUVAT, sed etiam velle & operari operatur in nobis. Idem repetit cap. 26. immediate sequente: Istam Dei gratiam, ait, in divinis eloquiis manifestam ETIAM Pelagius manifeste fateatur. Itaque, non substitutionem unius gratiae pro alia, seu mutationem unius in aliam; sed additionem posterioris ad primam, urit Augustinus. Dum igitur cap. 14. dicebat: Non est consequens, ut qui potest venire etiam veniat, nisi id voluerit atque fecerit, loquitur de illo, qui jam habet gratiam aliquam actualem, adjuvantem possibilitatem: idque mixime ex hoc intelligi potest, quod S. Augustinus possibilitatem naturalem ad opera meritoria, quam statuebat Pelagius, nunquam admiserit, sed iam possibilitatem, quam operationem ipsam meritoriam, gratia tribuerit. Falsum est ergo, juxta Augustinum, quod ait Quesnellus, scilicet: Absque gratia efficaci non solum nihil fieri, sed nihil etiam fieri posse. Datur enim aliquid medium, inter voluntatem radicaliter, ut ita dicam, potentem opus meritorium facere, & actualiter facientem: nimirum possibilitatis gratia: qua habita, non adhuc est consequens, ut qui potest venire etiam veniat; nisi id voluerit atque fecerit. Quippe Deus in cordibus hominum (verba sunt Aug. (6)) operatur, non SOLUM veras revelationes, quae spectant ad possibilitatem, sed ETIAM bonas voluntates.

XXVI. Hunc medium motum, potentiam inter & actualem operationem, negavit Calvinus: asseruit Tridentinum. Hoc medio motu sublato, eique substituta efficaci gratia non adjuncta, fit, ut quicumque proxime est potens bonum facere, etiam actu faciat: e converso; quicumque actu non facit, non possit etiam de propinquo facere. Ex quo sequitur, iustos dum mortaliter peccant, omittendo actum praecipuum, non potuisse praecipuum adimplere; sive ut dixit Jansenius: (7) Aliqua Dei praecipua hominibus iustis, volentibus atque conantibus esse impossibilia, deesse quoque gratiam, qua possibilia fiunt. Sequitur etiam S. Petrus, dum Christum negavit, non potuisse se confiteri Christum; ac vere dici posse, S. Patres nobis in B. Petro exhibent hominem iustum, cui gratia, sine qua nihil possumus, in ea desuit occasione, in qua cum non peccasse, dici non potest: quam propositionem in Arnaldo olim proscriptam S. Facultas Theologica Parisiensis, iisdem notis, qui-

(1) Dato 18. Novemb. 1716. (2) Est prop. 38. (3) q. 24. de verit. a. 12. (4) De grat. Chr. c. 14. (5) De grat. Christi. (6) Lib. cit. in fine c. 24. (7) Est 1. Jansen.

quibus Summi Pontifices primam Jansenii propositionem perstrinxerunt, nempe, veluti temerariam, impiam, blasphemam, anathemate percussam, & hereticam: & Alexander VII. epistolam, ex qua excerpta est illa Arnaldi propositio, auctoritate Apostolica confixit. Cardinalis quoque Noaillius Archiep. Parisien. natalitius tenebris damnavit male confarinatum libellum, cui titulus, *Expositio Fidei*; uti refert noster Oravefon. (1) ea potissimum de causa, quod istam contineret propositionem: *Sine gratia efficaci nihil possumus*. Quam quidem propositionem, ait Emmentis, ille Praeful esse fontem, principium ac fundamentum, non unius aut alterius, sed quinque propositionum Jansenii. Has autem propositiones inhaerant hic Quaesnellus: *Gratia Christi*, inquit, principium EFFICAX boni cujuscumque generis necessaria est ad omne opus bonum: absque ea non solum nihil fit, sed nec fieri potest. Et iterum: *Gratia cum qua Christum nunquam abnegamus* ea ipsa est, sine qua consisti ipsum nunquam possumus: idest sine gratia efficaci, qua Deus efficaciter in nobis operatur, nec potentiam quidem habemus ad bonum cujuscumque generis.

XXVII. Fatetur auctor Theologiae supplicis, (2) secundam primae propositionis partem, prout & propositionem secundam, intellectas de potentia antecedente, quasi absque gratia efficaci, supernaturalis potestas, etiam remota & incompleta, nulla extet ad bonum, saltem ope ac beneficio gratiae mere excitantis (quam sufficientem vocat schola) erroneas esse: si tamen de potentia supernaturali proxima, completa ultimo, absolutissimaque accipiuntur, quasi sine gratia efficaci non extet, sed per solam efficacem gratiam conferatur, probatissimam Theologorum sententiam esse, aptissime loquendi formulam, ex Sacris Literis, Romanis Pontificibus, Conciliis, Patribus mutuatam: *Sine gratia enim non posse hominem bene agere* saepissime dicunt, etiam ubi de gratia efficaci sermonem habent; potentiam proximam, completam, absolutissimamque intelligendo; quam tunc inesse homini negant, dum efficaci gratia destituitur. Ita Innocentius I. Rom. Pont. Epist. ad Episcopos Africae, inter Augustinianos 181. S. Leo Magnus Sermon. 37. Caelestinus Rom. Pontif. in Capitulis. Concilium Carthaginense anni 418. Canon. 6. Concilium Arausicanum II. Canon. 25. Concilium Trident. Sess. 6. Canon. 22. S. Augustinus Lib. de grat. Christi cap. 10. 14. & 26. Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 17. Lib. 2. contra duas epist. Pelag. cap. 9. Lib. 1. operis imperf. cap. 97. Lib. de corrept. & grat. c. 12. Tract. 92. in Joannem. Epist. ad Paulum. nunc 286. Sermonem nunc 296. S. Prosper Epist. ad Rufinum, & Lib. contra Collatorem cap. 5. S. Thomas 4. 2. de verit. art. 14.

XXVIII. Hac fere praefatus auctor. Ut subindicatam denuo cum Sanctis Patribus Quaesnellii comparationem, de qua non nisi a dementissimo, vel temerarissimo mortalium serio cogitari potest, praeteream, ex ipsis illius auctoris verbis evinco, Quaesnellum a Sanctis PP. longius recessisse: si quidem Patres illos citatos, sine gratia non posse hominem BENE agere saepissime dicere, fatetur: at vero Quaesnellus, sine EFFICACI, NIHIL BONI posse fieri cujuscumque ordinis dicit, quae immensum distant. BENE operari SS. PP. est meritorie operari: aut bonum facere, laetius patet, ut infra probabitur. Deinde, nullus ex Patribus citatis expresse de gratia efficaci loquitur, sicuti Quaesnellus: quapropter commode interpretari possunt de gratia in communi. Quod si a-

quivalenter de efficaci gratia loquantur; cum nullus eorum non alibi admittat gratiam quae deesse, cuique saepissime restititur: id est sufficientem ab efficaci distinctam; Quaesnellus autem hanc etiam scurriliter exposcit: (3) possunt ac debent illi de potentia completissima, actuque conjuncta intelligi: Quaesnellus nec debet, nec porro potest.

XXIX. Addit praefatus auctor, hanc formulam, videlicet, *Sine gratia efficaci . . . non solum nihil fit, sed nec fieri potest*; aptam esse, haece etiam temporibus, Ego vero respondeo, ineptissime hoc dici; post damnatum Jansenium atque Quaesnellum; post damnatam epistolam Arnaldi, ut paulo ante ex nostro dictum est Gervasio, ea potissimum de causa, quod istam contineret propositionem: *Sine gratia efficaci nihil possumus*, quae est, Noaillio Card. teste, non unius aut alterius, sed quinque propositionum Jansenii principium ac fundamentum. An ergo, interrogat ulterius, non licet amplius (4) Romanorum Pontificum, Conciliorum ac Patrum loquendi formulas usurpare, eademque cum illis lingua loqui, in praedicanda divinae gratiae necessitate? Resp. Licet formulas SS. Patrum usurpare, sed elimatas, politas, explicatas. Ita faciebant Sancti PP. dum vivebant, quidni & facturi si viverent? Ergo & nobis idem faciendum. Liber verba S. Thomae quae concilia alibi retulimus, hic integra atterere: (5) *Errores circa fidem exorti, occasione dederunt Sanctis Ecclesiae Doctoribus, ut ea quae sunt Fidei majori circumspectione traderent, ad eliminandos errores exortos. Sicut patet, quod Sancti Doctores, qui fuerunt ante errorem Arii, non ita expresse locuti sunt de Unitate divinae essentiae, sicut Doctores sequentes: & simile de aliis contingit eribus. Quod non solum in diversis Doctoribus, sed in uno egregio Doctorum Augustino expresse apparuit. Nam in suis libris, quos post exortam Pelagianorum haeresim edidit, cautius locutus est de potestate liberi arbitrii, quam in libris, quos edidit ante praedicta haeresis ortum; in quibus libertatem arbitrii contra Manicheos defendens, aliqua protulit, quae in sui defensionem erroris assumpsit Pelagianum, divinae gratiae adversantes. Et ideo non est mirum, si moderni Fidei Doctores, post varios errores exortos, CAUTIVUS & quasi ELIMATIVUS loquantur, circa doctrinam Fidei: AD OMNEM HAERESIM VI-ANDAM. Ita S. Thomas: haece, puto, interrogationi, Theologiae candidarum magis, quam Publicum Professorem, & Graduatum Academicum referenti, sufficiunt.*

XXX. Sed ad Quaesnellianam. Fatetur ergo Theol. suppl. secundam primae prop. partem, prout & propositionem 2. intellectas de potentia antecedente, quasi absque gratia efficaci, nec naturalis potestas ad bonum ejusdem ordinis, nec supernaturalis, etiam remota & incompleta, nulla extet usquam ad bonum supernaturale, ope saltem ac beneficio gratiae mere excitantis (quam sufficientem Schola vocat) erroneas esse. Atque Quaesnellus post Jansenium ac Bajum, utramque potestatem homini, gratia efficaci destituito, denegavit? Quod potentiam naturalem ad bonum naturale attingit, probabitur subsequentibus §§. praesertim octavo: hic ergo solum de supernaturali agendum. Ut luce clarius hoc unicuique pateat, sciendum, quod Jansenius in suo Augustino gratiam sufficientem Thomisticam omnino satyrice, ac indignis modis exagitaverit. Secutus est auctor Epistolae Provincialium, ac tandem successit etiam audacior alter, qui effutire ausus est, hanc

hanc damnatam ab Alexandro VIII. propositionem: *Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis quam perniciosa est; sic ut proinde merito possumus petere: A GRATIA SUFFICIENTI LIBERA NOS DOMINE*. Ex his, tam infectis lacunis, quidam alii Scriptores, quandoque hosculus, scilicet! orandis suis scripturunculis, decerpunt. Fatentur tamen hujus ultimi generis Scriptores, in quibusdam opusculis suis, Thomistas, admittendo cum gratia efficaci, sufficientes, moraliter excitantes &c. fore apprime catholicos: imo falsitatem omnem superare quod eorum doctrina sit cum Jansenio damnata. Nec desunt qui ederet librum in quo ex professo concludit, *Jansenius Thomistarum diversissima esse principia*: in quo ad 18. differentias unum inter & aliud systema assignat; licet eodem libro, quod mireris, dicat, merito peti a Thomistis, ut assignent suam a Jansenio discrepantiam. Et non ita pridem, anno videlicet 1734. editus est liber Ulissipona, cujus auctor fatetur Thomistas, secundum Decreta Apostolica esse catholicissimos; non item secundum principia Scholae suae. Quod quid aliud est quam fateri, Scholae illius principia esse toto caelo, a principis Sedis Apostolicae diversa? Haec per transeunam.

XXXI. Quod Romani Pontifices Thomistas probe catholicos agnoscent, satis superque est, ut dicitur quoruncumque invidorum intrepide commentant Thomistas. Id ubi adverterunt Jansenii affecta, nihil immutato doctrinae fundamento, ceperunt gratias parvas, efficaces tamen; id est, totum semper effectum ad quem a Deo dantur, producentes; quas statuit, & substituit eorum Patriarcha, gratias sufficientibus Thomisticis; ceperunt, inquam, has parvas gratias vocitare sufficientes, ut sic Thomistae videri possent, adeoque catholici audire. (1) Quaesnellus; quantumvis sciat gratias sufficientes Thomitice, scurriliter & impie derisive; postquam vidit se damnatum, intactis Thomistis, hoc stratagemate sibi utendum duxit; apprehensa scilicet Thomitice pallii lacinia, pretioso hoc paludamento, & tuto, conatus est se amicare; continuo in suis justificationibus inclamans, admittere se gratias sufficientes Thomiticas; nihil doceres se praeterquam Thomistae docent: retento interito toto doctrinae suae systemate. Quomodo id ostendimus? Viam aperuit S. August. *Constitutus ergo (Pelagius, inquit Augustinus) (2) sic se aliquando tenuisse, sed iam non tenere, ut de correctione ejus aperissime gauderemus*. Rufus cap. 26. *Istam Dei Gratiam in divinis eloquiis manifestam etiam Pelagius manifeste fateatur; sequi tam diu contra sensisse non operat impudensimam pudore*. Similia habet S. Pater cap. 30. *Eti vero Pelagius gratiam Dei (3) per singulas horas, per singula momenta, per singulas actus necessarias; et sic diceret, quod Deus nos multiformi & ineffabili dono gratiae celestis illuminat: (4) Quod Deus operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est . . . dum revelatione sapientiae in desiderium Dei (5) STUPENTEM SUSCITAT VOLUNTATEM, & quod Nobis insidet omne quod bonum est: (6) quodque in voluntate & opere bono laus hominis est, & Dei: licet in literis ad Innocentium PP. scripserit: (7) Ecce ad beatitudinem tuam epistola ista me purget, in qua pure atque simpliciter ad peccandum & non peccandum liberum arbitrium habere nos dicimus; quod in omnibus bonis operibus divina semper adiuvatur auxilio: licet epistola ad Paulum* Serry Tom. V.

num Trecentis forte versibus nihil aliud quam Dei gratiam & auxilium confteretur, (8) nos quoque nihil omnino boni facere posse sine Deo: licet, inquam, Pelagius haec omnia ubique buccinaret; tamen S. Augustinus, & Romana Ecclesia, idest catholicae Pelagium nunquam agnovit pro catholico; eo quod nullibi agnosceret, se quondam errasse. Ita nec Quaesnellum errorem deseruisse, quem tota in ejus libro videt Ecclesia, debemus existimare: quia nunquam agnovit se errasse; sciamus tamen quod gratiam sufficientem, quae non sit efficax, scurriliter & impie deriserit, tamquam iustus inultem, & peccatoribus damnosam. Vide cap. 2. §. 2. art. 12. Adde quod gratia illa parva Quaesnelliana, stantibus ejusdem principis, ut ut sufficientes vocentur, non vere sufficientes sint, prout sunt gratiae sufficientes Thomiticae.

XXXII. Ad cujus evidentiam ex Apostolo notandum, quod *sufficientia nostra ex Deo est*: (9) Igitur ut gratia, etsi in se parva sit, (Deus enim non semper ab initio communicat nobis bonum perfectum, ut postea ex S. Thoma dicemus) vere sit sufficiens ad opus perfectum, vel ad salutem, necessario supponi debet Deus illam dare, cum intentione (saltem conditionata, *Nisi homo a gratia deficiat*) perficiendi in nobis boni inchoati: sicut habens semen & agrum ad ferendum, dici potest habere media sufficientia ad messem colligendam; supposito quod Deus vult dare incrementum, sive per se, sive per causas secundas. At si ponamus, quod Deus incrementum dare non velle; quod mandaret nubibus ne pluerent super agrum istum imbrem &c., non diceretur, per ista sola, homo habere sufficientiam ad messem. Sic ergo se habet res in praesenti. Quaesnellus & symmita volunt, quod gratia qualiscumque, habeat semper totum effectum ad quem a Deo datur. Igitur si de parva gratia loquamur, Deus eam non communicat, juxta Quaesnellistas, cum illa voluntate conditionata, iam dicta, perducendi nos ad bonum perfectum; quia parvam gratiam non ordinat Deus, juxta Quaesnellistas, nisi ad parvum bonum, non vero ad majus, neque ad salutem; alias eam produceret: quia ut dictum est saepius, juxta principia illorum, gratia semper producit totum effectum ad quem a Deo datur.

XXXIII. At Thomista, Angelico Duce, longe hic aliter philosophantur. Nam juxta hunc S. Doctorem, (10) Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: & hujus voluntatis effectus, est ipse ordo naturae in finem salutis, & promotio in finem, omnibus communiter proposita, tam naturalia quam gratuita: sicut potentiae naturales, & praecipua legis, & alia hujusmodi. Unde quidquid boni (sive potentiae naturales sint, sive quaecumque auxilia) a Deo homini confertur, ordinatur ad ejus salutem, sicut media assumpta ex amore finis, ordinantur in finem: & quidem, sic conferuntur, ut Deus semper paratus sit, quantum in se est, benignas influentias suas continuare, usque ad ipsam finem ascensionem; si in homine & ex homine non occurrat impedimentum. Hinc S. Thomas Deum saepissime comparat soli, qui, quantum de se est, omnibus sese communicat; ita ut illi soli luce priventur, qui se avertunt ab ejus lumine, & abscondunt a calore ejus. Loca quaedam alias citavi; unum hic addam ex 1. 2. qu. 79. art. 3. c. 5. Deus est causa universalis illuminationis animarum; secundum illud Joan. 1. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc

(1) Tom. 2. Epist. 3. (2) Pag. 176 (3) Vid. pag. 56. n. 12. (4) Pag. 177. (5) Praefat. ad Opus

(1) Vid. pag. 56. n. 12. (2) De grat. Chr. cap. 22. (3) Loc. cit. cap. 2. (4) Loc. cit. cap. 7. (5) Cap. 10. (6) Cap. 16. (7) Cap. 31. (8) Cap. 35. (9) 2. Cor. 3. (10) In 1. dist. 46. quae. 1. art. 1.

mundum; sicut sol est universalis causa illuminandi nationis corporum; aliter tamen & aliter. Nam sol agit illuminando per necessitatem naturae; Deus autem agit voluntarie per ordinem suae sapientiae. Sol autem, licet quantum est de se, omnia corpora illuminet, si quod tamen impeditur inveniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebrosum; sicut patet de domo, cujus fenestrae sunt clausae: sed tamen illius obscuratio nullo modo causa est sol; non enim suo iudicio agit ut lumen interius non immitat; sed causa eius est solum ille qui claudit fenestram. Deus autem proprio iudicio lumen gratiae non immitit illis, in quibus obstaculum invenit. "Ecce, quam ideam nobis det Angelicus honoris divinae. Sol est, quantum de se, omnibus gratiam communicans; ut sol corporalis, suam lucem: hac sola cum differentia; quod hic agit necessitate naturae; Deus vero voluntarie per ordinem suae sapientiae. Ceterum, uterque sol, & spiritalis & corporalis, nihil relinquit tenebrosum, nisi ubi obstaculum reperitur. Unde ibid. q. 109. art. 7. ad 1. generaliter affirmat, quod, cum homo per liberum arbitrium, a Deo motum, surgere conatur a peccato, recipit lumen gratiae iustificantis.

XXXIV. Eandem doctrinam Tridentinum expressit his verbis: (1) Nemo sibi certi aliquid, absoluta certitudine pollicetur: tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare. & reperere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratia defuerint, sicut cepit opus bonum, ita perficiet; operans velle & perficere. Unde principes Scholae nostrae sub initium Saeculi XVII. Thomas de Lemos, & Dacicus Alvarez (ne quis existimet nos post damnatum Jansenium & Quaesnellum eo confugisse) hac de re ita statuunt: Deus tribuens auxilium sufficiens, in eo offert efficacem: sed quia homo resistit sufficiens, privatur efficaci, quod sibi offerebatur. Hae Lemos Tom. 4. Panopliae lib. 4. pag. 2. tract. 3. cap. 6. num. 78. Alter vero lib. 10. de Auxiliis dist. 113. num. 8. in fine: Deus homini iustificatio tribuit auxilium excitans, & sufficiens ad vitandum quodlibet peccatum, paratus conferre efficacem, nisi ipse sua malitia eidem auxilio impedimentum praestet. Nec tamen illi fuerit primi doctrinae illius inventores, cum Lemos l. cit. cap. 2. num. 13. pro se alleget Cajetanum, Ferrarientem, aliofque plures.

XXXV. Itaque in principiis Thomisticis, gratiae minores, quas sufficientes vocant, continent, ut semen segetem; majores gratias: Deumque supponunt paratum, opus quod per minores illas gratias incipit, perficere: adeoque constituunt vere hominem potentem ad implendas obligationes majores, pertingendumque ad salutem: juxta illud 3. Thomae: (2) illud quod possumus cum auxilio divino, non est nobis omnino impossibile; secundum illud Philosophi in 3. Ethic. Quae per amicos possumus, aliquantulum nos possumus, supposito scilicet, quod amici sint parati nos juvare; alias non diceremur illud posse per amicos: idem enim est non habere amicum qui nos possit juvare, & habere amicum qui nolit juvare.

XXXVI. At vero in principiis Quaesnellii ac Jansenii, gratiae parvae; etsi continent in virtute majores, atque ex natura sua ad eas ordinarentur; nec ordinantur a Deo ad majores, nec supponunt Deum velle per minores & parvas gratias nos ducere ad majores; dum scilicet actus non concedit: quia juxta ipsos, gratia semper obtinet omnem illum effectum ad quem a Deo ordinatur: nec ulla in Deo, pro hoc statu, est vo-

luntas, nisi absoluta; qua, quod vult facit; & quod non facit, non vult. Igitur homo remanet simpliciter impotens ad majores, dum solum habet gratias minores: adeoque haec Jansenistica, & Quaesnellistica non sunt vere sufficientes, licet ex natura sua ordinarentur ad majores: id enim impertinentes est; quia sufficientia nostra ex Deo est. Illa Quaesnelliana, seu Janseniana mytheria nobis pandit, aperitque quarta Quaesnelliana: Ita, Domine, omnia possibilia sunt ei, cur omnia possibilia facis, EADEM OPERANDO IN ILLO: ex qua evidentissime sequitur, ea, quae Deus in nobis actu non operatur, non esse nobis possibilia.

XXXVII. Ut ergo illuc, unde digressa est, redeat oratio, quidquid dixerit & scripserit Quaesnellus, quidquid clamitavit ejus affectu, admittere se gratias sufficientes Thomisticas, non eis plus fidei, quam Augustinus Pelagio, ac Pelagianis habuit, dandum est: donec abjunct erroris sui caput, circa voluntatem Dei, salvandi omnes omnino homines; admittantque sincere, Deum velle, voluntate antecedente, non sterili, sed fecunda mediorem sufficientem vere ad salutem, omnes omnino homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: dicantque post S. Thomam Quodl. 1. art. 7. ad 2. cum Thomistis: Ex Deo est, ut homo se ad gratiam preparet: sed quod gratia careat, non habet causam a Deo, sed ab homine; secundum illud osee 13. q. Perdidi, tua Israel; tantummodo ex me auxilium tuum. Hac nisi omnia ingenue, & ex animo agnoscant, verba & voces in ventum spargunt, fumos vendunt; nec plus valere in ore Quaesnellista, gratias sufficientes Thomistica, quam in ore Pelagii gratia, auxilium Dei &c. existimandum est. Videatur sequens §.

## §. VI.

## Propositiones Quaesnellianae, censura notatae.

In vanum Domino praecipis, si tu ipse non das quod praecipis. Est 3. Quaesnell. Act. 16. v. 10. Ita Domino; omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo. Est 4. Quaesnell. Marci 9. v. 22.

XXXVIII. Vellem equidem scire, quid respondurus foret Quaesnellista quispiam interroganti: In vanum praecipit Deus protoplastis nostris, ut se, Deum ipsum, fide, spe, & charitate supernaturaliter colerent, atque a ligno Paradisi medio sese continerent? Concedentne in vanum id eis fuisse praecipitum? Si negat vanum fuisse praecipitum: ergo in vanum Deus non praecipit, etsi ipse non det quod praecipit: illis siquidem, quod praecipit, non dedit. Sed, inquit, habebant illi unde poterant praecipitum servare. Negas ergo nos posse praecipitum servare in hoc statu sine gratia efficaci? Ergo iustis etiam, praecipitum non servantibus, sunt ea impossibilia? Ecce quod tendat haec, specie tenus pia, propositio! Porro hunc verum esse sensum illius propositionis, dubitare non sinit propositio altera: Ita Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo. Si enim illi demum possibilia sunt praecipitum, in quo Deus operatur omne quod praecipit, evidens est, eis non esse possibilia, in quibus illa Deus non operatur per omnipotentissimam gratiam suam: quos inter sunt omnes iusti qui cadunt a iustitia.

XXXIX. Dico specie-tenus pia: nempe, qui prima fronte coincidere videtur cum hac Regii Pro-

Prophetae sententia, psal. 126. Nisi Dominus edificaverit domum, in vanum laborant qui aedificant eam. (1) Item, cum ea Augustini regula: Praecipit frustra fit, nisi Deus iustus operetur & velle, per investigabiles vias suas. Item cum alia illa de grat. & lib. arbit. cap. 4. in fine: Homo gratia juvatur, ne sine causa voluntati ejus jubeatur. Rursus cum illo Gregorii effato; (2) Quicumque plantat aut riget, incassum vox correptionis exterioris postrebit, nisi ille incrementum dederit, sine quo nihil possumus facere: quod ex Psal. 126. sumptum est. Haec omnia coarctat Auctor Theol. Suppl. (3) daturus, si possibile foret, tolerabilem quemdam sensum, huic damnatae propositioni. Sed in vanum. Etsi enim prima fronte videatur cum hisce sententiis, ut dixi, coincidere, toto tamen celo differt. Nam prima & ultimam, (ut alia plura Scripturae loca) quod ex priori sumptum est, testimonium, homini aedificanti, plantanti, riganti, custodienti, sine Deo, vanitatem adscribit: & siquidem putet sine Deo haec procedere posse, insipientiam, stultitiam, superbiam, praesumptionem. Et recte: nisi enim Deus, quocumque demum modo, adjuvet hominem debilem, nihil unquam boni faciet, nusquam prosperabitur, nec mala imminetia cavebit; quin facere, prosperari, aut cavere non poterit. At vero Quaesnellus ad hoc necessaria est determinate, gratia efficacem. Dubitas? Adde propositionem secundam, Jesu Christi gratia, principium EFFICAX BONI CUJUSCUMQUE GENERIS, necessaria est ad omne opus bonum: absque eo non solum nihil fit, SED NEC FIERI POTEST. Cum ergo sit innumerabilis hominum multitudo, quibus gratia efficacem non datur; quos inter multi iusti: praecipit Dei a tanta multitudo impleri non poterunt, eruntque impossibilia. Et quidem propositio haec, quatenus iustus a iustitia cadentes comprehendit, damnata erat in prima Janseniana; imo longe ante a S. Tridentina Synodo: (4) horrentque aures, non Quaesnellianae, similia audire: dum similes voces Deum exhibent nobis crudellem: Homini imputatur in crudelitatem, ait S. Thomas, (5) si obliget aliquem per praecipitum ad id quod implere non potest: ergo hoc de Deo nullo modo est estimandum. Quapropter Augustinus De grat. & lib. arb. cap. 4. in fine, ex precepto infert auxilium, dicens: Homo ergo gratia juvatur, ne sine causa voluntati ejus jubeatur. Alibi, ut num. 41. dicitur, stultum esse dicit, praecipitum dare ei, cui liberum non est, quod praecipitum facere: & iniquum, damnare eum, cui non fuit potestas iusta complere. Et S. Leo ait: Jese infat praecipit, qui praecurrit auxilio; (6) neuter tamen loquitur de gratia efficaci determinate, ut Quaesnellus: sicque patet responsio ad unam Augustini, & alteram Gregorii auctoritatem: quamquam ad auctoritatem Gregorii etiam dici possit, nunquam desatelo haberi fructum completum correptionis, plantationis, nisi Deus per gratiam efficacem incrementum dederit: praecedit enim apud Gregorium: Si ergo fidem sine gratia Dei nemo habet: quis se facere fructum affinet, sine adjutorio illius, qui ait: „Posui vos ut eatis, & fructum afferatis; eis: & fructus vester maneat?“ ac tum sequuntur verba supra relata. Possunt etiam ei aptare solutionem jamjam dandam, ad primam S. Augustini auctoritatem; atque has etiam illi applicare.

XL. Paulo plus difficultatis habere videtur primum Augustini effatum: nihil tamen est, si attente inspicatur. Non dicit S. Pater: Praecipitum Sery Tom. V.

frustra DATUR, nisi Deus operetur & velle; qui est sensus Quaesnellianae; sed frustra FIT, inquit, quod non ad Deum praecipientem, sed ad hominem de suis viribus praesumentem referendum est: ac si diceret: frustra r. e. sine merito vitae aeternae, fit praecipitum ab homine, nisi Deus sua gratia adjuvet, ut fiat eo modo quo oportet ad salutem: quod verum est. Quo sensu dixit idem Augustinus: (7) Etsi enim Dei mandatum videtur aliquando a non diligentibus, sed a timentibus fieri; tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur. Ac per hoc gratiam Dei, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, sic confiteatur, qui vult veraciter constiteri, ut omnino nihil boni sine illa, QUOD AD PIETATEM PERTINET VERAMQUE JUSTITIAM, fieri posse non dubitet. Toto idem caelo diversum est a Quaesnelliana: In vanum Domino praecipis &c.

XLI. In vanum ergo Legem Deus Israelitis dedit, cum tamen Propheta Regius, exultans hortetur eos ps. 147. Lauda Jerusalem Dominum lauda Deum tuum Sion. . . . Qui annuntiat verbum suum Jacob & iudicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestavit eis? Sed parum hoc est, id ultra admittit Quaesnellus prop. 7. Quae utilitas, ajeus, pro homine in veteri foedere, in quo Deus illum reliquit ejus propria infirmitati, imponendo ipsi legem suam? Parum hoc ergo videtur Quaesnellus: peto ergo, parumne etiam sit, quod Deus in Lege nova hominibus, etiam iustis, det praecipitum sua; eis tamen non det quod praecipit, sed relinquit in impotentia adimplendi praecipitum? Igitur dicere debet, Deum iuste aliquid praecipere posse homini, etiam iusto, quod implere non potest, sed quod est observatum impossibile, nec suppetunt vires, quibus possibile fiat: quod in prima Janseniana damnatum est. Hic est ergo planus & obvius sensus hujus propositionis, si ejus cum aliis coanexio attendatur: iuste tamen, sed in vanum Deum praecipere, nisi det gratiam efficacem, qua praecipitum impleatur: id est, Dei praecipitum esse hominibus, qui ea actu non observant impossibilia; iuste tamen ad ea obligari: & si non observant, uti observare non possunt, iuste tamen ab eis ponantur exigi: (8) cum dicat Augustinus, Nominem. . . supplicio dignum qui. . . id non faciat quod facere non potest. Nonne ista cantant & in montibus pastores, & in theatris poete, & indocti in circuitis, & docti in bibliothecis, & Magistri in scholis, & Antistes in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum? Et iterum: (9) Quis enim non clamat, stultum esse praecipitum dare ei, cui liberum non est, quod praecipitum facere, & iniquum esse, eum damnare, cui non fuit potestas iusta complere? Et has iniustitias, & iniquitates, miseri non intelligunt Deo se adscribere. Scio Quaesnellistas confugere ad potestatem implendi praecipitum, quam habuimus in Adamo: sed simul scio id omnino esse a mente Augustini alienum. Dicit enim de grat. & lib. arb. c. 22. Infantes cum stetu velutari videmus, quando baptizantur & divina Sacramenta suscipiunt: quod eis ad magnum impietatis peccatum imputaretur, si jam libero uterentur arbitrio: non ergo sufficit Augustinum libertas Adami, sed propriam ad personale peccatum requirit: alias reluctatio infantium, peccatum esset, quod August. negat.

XLII. Alterum huic propositioni sensum affingit Auctor Theol. Suppl. (10) Si nempe, ait, vanum Dei praecipitum dicit, hoc est, incongruum, in-

P p 2

justum,

(1) Lib. 2. oper. imperf. contra Julianum cap. 137. (2) Super pl. 7. Penitentiale (3) Pag. 181. (4) Sess. 6. c. 11. & cap. 23. (5) In 4. dist. 18. art. 3. (6) Ser. 116. (7) De grat. Chr. cap. 26. (8) De duabus ant. c. 11. (9) In append. tom. 8. apud August. (10) Pag. 182.

(1) Sess. 6. cap. 13. (2) 1. 2. q. 103. art. 4. ad 2.

justum, indebitum, nisi Deus per gratiam efficacem dederit ipse quod precipit; sed hic sensus adeo non est naturalis huic propositioni, ut idem Auctor fateatur, & dicat *Is tamen notata propositionis sensus . . . est omnino violentus*. Hactenus bene: verum quod deinde addit, *postquam Auctori effectus videri: nonne signandus nunc, notandusque venit, tamquam qui solus censura inuendus Clementi visus sit? ne quis in sensum alterum, qui Gregorii & Augustini certissime fuit, latam ab eo censuram suspicari possit*: hæc, inquam, quis patienter ferat? Dubitat ergo, an fuerit huic propositioni sensus violentus effectus? dubitat, an in sensu violento fuerit damnata? dubitat an forte non Gregorius & Augustinus fuerint hic censurati? Illuminare, Deus, illuminare: ut non pudeat eum proferre debite retractationis medicamenta, qui fecit vulnera. Recte tamen hunc sensum dicit violentum; quia Quenellus directe contrarium docet, nempe, Deum congrue & iuste, in hoc statu, precipere posse impossibilia: prout ex dictis constat abunde, & ex dicendis amplius constabit. Non est hic quoque præterunda insignis hallucinatio, ut minimum dicam, *Theol. Suppl.* (1) dum ex S. Augustino intendit probare, potentiam completam, absolutissimamque, in hac vita, nobis solummodo per gratiam efficacem dari. Inducit ad hoc verba quaedam Sancti Patris ex *Lib. de natura & grat. cap. 42.* ubi tamen non agitur de gratia huiusmodi, sed de consummata patriæ. Sufficit adducere verba Augustini integra, non mutila, hoc ut probatum maneat: *Neque de ipsa possibilitate contendo, ait August., cum sanata & adjuva hominis voluntate, possibilitas ipsa (effendi absque ullo profluo peccato) simul cum effectu in Sanctis proveniat, (hic sicut *Theol. Supplex*: verum sequitur apud Augustinum) dum caritas Dei, quantum plenissime natura sana atque purgata capere potest, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Quid clarius, quam agere S. Augustinum de gratia consummata patriæ; qua Sancti ita confirmantur in bono, ut nec unquam sine ultra peccaturi, nec potro unquam peccare possint? Ad quid ergo adferuntur hæc, ubi probandum, non dari in hac vita, nisi actui conjunctam, potentiam completam absolutissimamque? Aut quid illa probatissima Theologorum sententia, ut ait, cum Quenello commune habet? Nihil aliud Quenellus docuit? Aperi oculos & lege: *Ita Domine omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo*. Si etiamnum dubitas, adde prop. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad se precipitandum; virum, nisi ad se vulnerandum: est CAPAX omnis mali, & INCAPAX ad omne bonum*. At vero Theologi illi fatentur, eos etiam qui male agunt, posse bene agere; dicente etiam Augustino: (2) *Non unum hominem, sed genus hominum iniquorum dicit; qui sibi adversantur; non intelligendo ut bene vivant: non quia non POSSUNT sed quia NOLUNT*.*

## §. VII.

*Propositiones Quenellianæ, censura notatæ.*

*Quando Deus non emollit cor per interiorum unktionem gratia suæ, exhortationes & gratia exteriores non interveniunt, nisi ad illud magis obdurandum. Est 5. Quenell. Rom. 9. v. 18.* Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in philosophis ethnicis, non potest venire nisi a Deo: & sine gratia non producit nisi vanitatem, præ-

sumptionem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco effectum adorationis, gratitudinis & amoris. Est 41. Quenell. Rom. 1. v. 19.

XLIII. Poterat objici Quenellianæ præcedenti: Deum non in vanum precipere, licet non det quod præcipit: quia notitia Dei, ejusque legis; correptiones, gratia exteriores, quadam tenus reddunt præcepta possibilia. Quippe, Augustino teste, tunc tantum non nisi peccari potest, si lateat veritatis via. (3) Huic objectioni occurrit his propositionibus. Obiectum olim Augustino fuit, si vera foret sententia ejus circa Dei gratiam, correptiones, exhortationes, prædicationes inutiles proflus futuras: solumque orandum esse Deum pro impiorum conversione. Idem argumentum defecto fit contra Thomistas. Verum hujuscemodi obiectiunculis Augustinus abunde, pro se atque Thomisticis satisfacit, toto libro *De corrept. & grat. facillique negotio sese expeditur*, dicendo: exhortationes, correptiones, cateraque exteriores gratias, ad hoc valere peccatori, ut suaviter, & modo voluntati suæ proportionato, disponatur ad gratia efficaciter efficientis receptionem. Unde S. Thomas ait: (4) *Ideo ergo necessaria est correptio, quia voluntas hominis requiritur ad hoc quod a peccato abstinat: sed tamen correptio non est sufficiens, sine Dei auxilio*. Est quippe naturale homini, utpote agenti non solum physico, sed una morali, & suasionibus, exhortationibus, correptionibus, terculamentis, promissionibus induci ad operandum, vel abstinendum ab operatione: ut illa omnia non possint non esse utilissima & convenientissima peccatori, ut inducatur ad libere abstinendum a peccato, desiderandum ejus auxilium; præsertim quando Deus simul interne ejus intellectum illuminat, affectum seu voluntatem piis desideris accendit; verbo dum aperit ei aures, & seu cor, intendere his que foris prædicantur. *Act. 16.*

XLIV. Quenellum docentem, quod gratia Adami erat illi proportionata: gratia vero Christiana est omnipotens & digna Deo (prop. 37.) argumentum hoc opprimat proflus. Ad quid enim, rogo, dedit Deus præceptum Apostolis annuntian-di Evangelium omni creaturæ? Ad quid imponit nobis præceptum correptionis fraternæ? Ad quid per Paulum monet Timotheum, omnesque Episcopos: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina*? An forte ut in peccatores, quos Deus efficaciter vult convertere, suaviter, & modo libero suo arbitrio proportionato disponatur ad gratia receptionem? At gratia erat quidem innocentis Adami proportionata; modo tamen est omnipotens & digna Deo: frustraneæ ergo sunt, superabundantes, superflua gratia exteriores, hujuscemodi peccatoribus: porro Deus & natura, ut est in proverbio, nihil frustra faciunt. De primo ad ultimum, in hujuscemodi peccatorum gratiam, divina illa præcepta superius expressa, data non sunt: vellet solum Deus illos converti, & obediatur imperet, omnia sent, loquatur tamquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt. (prop. 20.) Ad quid ergo adhibeantur eis adminicula illa exteriora?

XLV. Assignanda tamen est horum adminiculorum utilitas. Pro hoc laboravit Augustinus, laborantque omnes omnino catholici. Quenellus quid dicit? *Quando Deus, inquit, non emollit cor per interiorum unktionem gratia suæ; exhortationes & gratia exteriores non interveniunt, nisi ad illud magis obdurandum*. Utiles ergo sunt, juxta Quenellum,

nellum, gratia exteriores exhortationesque ad peccatores illos magis obdurandum, quorum corda Deus unktione gratia suæ decrevit non emollire: cumque, ut dictum est, inutiles sint & supervacanea illis, quorum Deus corda, gratia suæ omnipotentis unktione, pro suo beneplacito emollit, consequens est, ut gratia exteriores, exhortationes, correptiones, quas Deus identidem adhibet, vel etiam fieri præcipit, ordinentur ad peccatores magis obdurandos. Hoc est illud horribile Calvinii dogma: (1) *Quos ergo in vite contumeliam (alias, vasa contumelie) & mortis exitium creavit, ut ira suæ organa forent, & severitatis exempla, eos, ut in finem suum perveniant, nunc audiendi verbi sui facultate privat, nunc ejus prædicatione magis excecet, & obstupescit*. Et iterum. (2) *Ecce vocem, Deus, ad eos dirigit, sed ut magis obdurescant; Lumen accendit, sed ut reddantur caeciores; doctrinam præfert, sed qua magis obstupescant; remedium adhibet, sed ne sanentur*. Hæc est illa prædeterminationum blasphemiam, quod Deus creaturam rationale mirabili proflus & inscrutabili sapientia gubernat, & administrat: per vias occultissimas, & sepe pro nostra tenuitate contrarias, alias ducens mirabiliter ad eternam felicitatem, alias vero ad baratrum sempiternum.

XLVI. Tandem blasphemiam, nec magis obscure, continet proflus altera. *Omnis cognitio Dei, etiam in philosophis ethnicis, non potest venire nisi a Deo: & sine gratia non producit nisi vanitatem, presumptionem, & oppositionem ad ipsum Deum*. Dicendo namque, talem cognitionem non nisi, id est semper producere vanitatem, presumptionem &c. nihilque præterea, satis significat cognitionem illam esse causam per se istorum effectuum. Nempe hoc discriminantur causa per se & per accidens, quod illa semper, nisi impediatur; hæc vero non semper, sed aliquando eundem effectum producat, ut philosophis norum est. At vero dicere, cognitionem Dei, quæ non nisi a Deo venire potest, esse causam per se presumptionis & vanitatis, impium & erroneum: exhortationes quoque & gratia exteriores obdurantem per sese producere, blasphemum & erroneum esse, Auctor *Theol. Suppl.* fateatur. [3] Videtur tamen dubitare, an propositiones illæ hunc sensum faciant: sed, pace ipsius dixero, idem est de illis propositionibus dubitare, faciantne hunc sensum, vel non faciant, ac dubitare, utrum hæc proflus: *Ignis applicatus materia combustibili, non producit nisi ignem, faciat sensum, quod ignis per sese ignem producat*. Sicut ergo nullus prudens dubitat, quin secundæ hujus, exempli causa adductæ propositionis, sensus sit, ignem per sese producere ignem, nihilque præterea: ita dubitare ipse haud debebat, faciantne Quenellii propositiones hunc sensum; quod scientia vel cognitio Dei, gratiaque exteriores, per sese producant pravos illos effectus, nihilque præterea: cum utrobique fit eadem propositionis forma, ut consideranti patet. Tametsi ergo gratia daretur, propositiones illas, utcumque steti posse in sensum aliquem benigniorem, in rigore tamen & proprio verborum sensu, juxta approbatas omnibus bonæ dialecticæ regulas, proferri poterunt, & debuerunt: quia naturalis sensus & obivius blasphemus est: continentque, aut saltem natæ sunt inducere legentes in horribilem Prædeterminationum hæresim: quæ sufficere ad propositionis condemnationem regulæ nostræ 2. & 10. docent.

XLVII. Idem Auctor a pag. 193., quo per-

suadeat necessariam aliquam harumce proflus explanationem, variorum SS. Patrum autoritates coarcevat: quasi idem, aut fere idem significant Patres ac doceant, quod Quenellianæ istæ. Attamen attentæ solummodo earum autoritatum lectione, quidquid inde præstiti dammaris assertionibus acceret, dissipatur & evanescit. Dicit ergo 1. *Fatales illos philosophicæ de Deo cognitionis effectus admodum exaggerat S. Fulgentius, gratiaque defectus perinde tribuit cap. ultimo lib. de veritate prædestin. & gratia*. Fallitur, aut certe fallere vult, dum insinuat, fatales illos effectus perinde, sive æquo tribui gratia defectui a S. Fulgentio, ac Quenello. Contrarium habetur ex illis ipsis verbis; quod mirum est non fuisse ei animadvertum; quæ refert ex laudato Sancto. Dicit enim Fulgentius. 1. *Quia ergo gratiam non acceperunt, philosophi Ethnici, propterea cognoscunt Deum gratias non egerunt*. 2. *Et quia vasa iræ fuerant apta in interitum, hoc in eis operata est illa manifestatio, qua Deum agnoverunt, ut cognoscendo superbirent*. 3. *Non ut se humiliando diligerent*. 4. *Tali ergo cognitione oblata excusatio est, non collata salvatio*. Primum, & quartum nihil difficultatis habent. Quippe lubens fateor, solam Dei cognitionem, sine ulla gratia, non sufficere ut Deo gratias agere, eumque, se humiliando, diligere valeant; sique salutionem ea cognitione consequi. Secundum vero, aliquid difficultatis continet, propterea, quod dicit: *Hoc in eis operata est illa manifestatio, ut cognoscendo superbirent*: attamen verbis, que postea idem Auctor recitat ex S. Fulgentio, nebulæ omnes dissipantur: siquidem ex illis clare patet, fatales effectus huic manifestationi tantum adscribi, uti causa per accidens; dum causam per se ejus assignat, sapientum illorum cor insipientis, superbiam &c. Accipe Fulgentii verba luce clariora, quibus eam philosophorum de Deo cognitionem, naturæ lumine, vel Deo revelante habitam, cum fidelium cognitionem per gratiam indita conferat: *Per illam, inquit, cognitionem cor cæcum A SEMETIPSO inflatur ad mortem: per hanc autem divinitus illuminatur, & humiliatur ad vitam. Illa cognitio cor obscuratur insipientis, DUM QUOD DEI EST, HOMO SIBI SUPERBUS ASSUMAT*: hac autem accipit lumen, ut hoc ipsum quod Deum cognoscit ac diligit, non ex possibilitate nature, nec ex auditu legis, neque ex sua voluntate, sed ex Dei dono sibi inesse non ambigat; semperque humilis esse meminerit, ne superbus amittat, quod indignus accepit. Cognitio illa peccato adjicit prævaricationis reatum, ista remouet a peccatore supplicium. Illa iusto damnat, ista gratis justificat. Illic SCIENTIA INFLANS nutrit, augetque peccatorum. Hæc S. Fulgentius; quibus verbis nihil clarius ad ostendendum pravos illos effectus non cognitioni Dei, sed pravitati ipsorum met ethnicorum, superbiam, vanitatemque eorum adscribendos esse. Unde quod superius dixit: *Hoc in eis operata est illa manifestatio, qua Deum cognoverunt, ut cognoscendo superbirent*, de causa per accidens intelligendum venit: *A semetipso, inquit, inflatur*.

XLVIII. Ut autem constet, quam longe Augustinus abis ab errore Quenelli, addendum aliquid est verbis, quæ citat (4) *Theolog. Suppl. ex epist. 107. modo 215. ejusdem S. Patris, ubi ait num. 11. Opus est hoc gratia quam qui accipiunt, doctrina salutaris Scripturarum Sanctarum est fuerint inimici, sunt amici: non opus ejusdem doctrina*

(1) Pag. 179. (2) Enarr. in psal. 35. Dixit iniustus. (3) De Spir. & litt. c. 3. (4) 1. 2. qu. 109. a. 8. ad 2.

(1) Lib. 3. inflit. cap. 24. num. 12. (2) Cap. 24. num. 13. (3) Pag. 193. & 195. (4) Pag. 196.